

**De sectione Caesarea nuper in clinico nostro a cl. Kiliano eadem in femina iterum instituta : accedunt animadversiones microscopio factae de ducendis vulnerum in utero cicatricibus : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendet Laurentius Kauffmann ; opponentibus Guilelmo Broes van Heekeren, Eduardo Kerris, Hugo Cossmann.**

### **Contributors**

Kauffmann, Lorenz, 1823-  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Bonnae : Typis Krüger, 1851.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zgmwjs2e>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
**SECTIONE CAESAREA**

NUPER IN CLINICO NOSTRO A CL. KILIANO EADEM  
IN FEMINA ITERUM INSTITUTA

ACCEDUNT

ANIMADVERSIONES MICROSCOPIO FACTAE DE DUCENDIS  
VULNERUM IN UTERO CICATRICIBUS.

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM  
ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE  
FRIDERICIA GUILIELMIA RHENANA

AD SUMMOS

**IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA**

HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESISIBUS

DIE XXIV. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCL

PUBLICICE DEFENDET

**LAURENTIUS KAUFFMANN**

GUESTPHALUS.

---

OPPONENTIBUS:

GUILIELMO BROES VAN HEEKEREN, CAND. MED.

EDUARDO KERRIS, CAND. MED.

HUGO COSSMANN, CAND. MED.

---

**BONNAE.**

TYPIS KRÜGER.

MDCCCLI.



SECTIOE CAESAREA

MUSEO IN CLINICO MUSEO A. OL. KILIANI MUSEO

IN FEMINA THROMBOSIS

DISSENTIENS

ANATOMIAE MICROSCOPICAE FACULTATIS DE DUCENDIS

VULNERIBUS IN UTERO QUANTUM

DISSERTATIO IN ANATOMIAE MEDICAE

QUAE

IN CLINICO MUSEO A. OL. KILIANI MUSEO

ORDINIS IN ALMA MATERIA LITTERARUM ET MEDICAE

FREDERICA-GUILIELMIA BEROLINENSIS

A. M. D. C. M. C. X. V.

IN BIBLIOTHECA ANATOMICA ET CHIRURGICA

IN BIBLIOTHECA ANATOMICA ET CHIRURGICA

IN BIBLIOTHECA ANATOMICA ET CHIRURGICA

IN BIBLIOTHECA ANATOMICA ET CHIRURGICA

IN BIBLIOTHECA ANATOMICA ET CHIRURGICA

IN BIBLIOTHECA ANATOMICA ET CHIRURGICA

LAURENTIUS KAUFFMANN

DISSENTIENS

DISSENTIENS

DISSENTIENS

DISSENTIENS

DISSENTIENS

DISSENTIENS

DISSENTIENS

DISSENTIENS

DISSENTIENS

**VIRO ILLUSTR**

**PRAECEPTORI DILECTISSIMO, SUMME VENERANDO**

**HERMANNO FRID. KILIAN**

**MED. ET CHIRURG. ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORI, CONSILIARIO REGIO  
INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDINARIO, DIRECTORI CLINICI OBSTETRICII  
BONNENSIS, EQUITI, COMPLUR. SOCIETATUM LITTER. SODALI ETC. ETC.**

**NEC NON**

**PRAECEPTORIBUS SUIS CUNCTIS, CARISSIMIS, MERI-  
TISSIMIS**

VIRI ILLUSTRIS

HASCE PAGELLAS

D. D. D.

HERMANNO FRIED. KILIAN

PHYSICIAN, AND SURGEON, OF THE UNIVERSITY OF GIESSEN, HESSE-CASSSEL, GERMANY.

PIO GRATOQUE ANIMO

PHARMACEUTICAE ARTIS CUNCTIS CARNIUM, MARI-

AUCTOR.

## Prooemium.

**Q**uoniam usu et legibus academicis institutum est, ut omnes, qui summos medicinae honores assequi student, aliquid de medicinae re conscribere debeant, quo testimonium publicum dent diligentiae atque facultatis, officium cognoscens et ei libenter obediens, carissimi amplissimique praeceptoris, Prof. Dr. Kiliani assensu casum aliquem gravissimum sectionis caesareae, qui accidit in nostro clinico obstetricio, ad dissertandum mihi proposui.

Haud ignoro, me tironem, rei, quae tam saepe et a maximis quidem viris huius doctrinae tractata est, nihil inauditi esse proditurum; tamen mihi persuasum habeo, hanc dissertationem haud esse inutilem, quum de casu aliquo agat, minime vulgaribus, sed rarissimis potius adnumerando, quin etiam quodammodo unico. Prae-

terea de cicatricibus vulnerum in utero ducendis, de quibus adhuc in litteris paullulum modo invenitur, (quod iam occasio rarissima datur eiusmodi cicatricum visendarum,) hoc in opusculo fructum inquisitionum microscopio a me institutarum descripsi, quod etiam, quemadmodum spero, per multis doctrinae amicis ingratum non erit. Quamquam inprimis hac in parte, quantum erat positum in me, ad caliginem de hac re pendentem perlustrandum operam dedi, timere debeo, ne propositum ex parte tantum perfecerim; qua de re lectores quotquot sunt benevolos oro, juvenile hoc periculum leniter diiudicent. **Valete, favete.**

Motto: -Aber es verhält dem Kranken so lang, bis die Stunde kommt der Zeit, alsdann wird vollbracht der Natur Gang und der Kunst, und vor nicht, die Zeit sei dena hier; aber auch ist der Natur die Kraft benommen und entzogen, bis die Stunde kommt der Zeit, denn die Stunde der Zeit ist die Stunde der Wirkung und nicht davor, wenn schon die Stunde der Kunst da wäre -

Paracelsus.

-Homo, naturae minister et interpres, tantum facit et intelligi, quantum de naturae ordine re vel mente observaverit, non amplius scit aut potest - Bacon.

**D**e prima sectione caesarea, quae in feminam A. M. Coellen prospere peracta est, A. Weberi exstat dissertatio inauguralis, qua et anamnesis et status praesens illius temporis et operatio eiusque fructus et epierisis continetur. Quo autem res faciliorem haberet intellectum, aptius mihi videbatur summa primae illius sectionis, quatenus ad historiam spectant, paucis hic una cum additis nonnullis revocare, antequam ad nostrum propositum transeamus.

A. M. Cöllen e gente Weingarten Poppelsdorfiae nata, qui vicus prope Bonnam bene salubriterque situs est, ante quindecim annos parentes usque ad illud tempus semper sanos amisit. De his accuratius referri non licet, praeter illud, quod mater, partibus duobus praematuris exceptis, quinquies facile et sine ullo medici auxilio peperit.

E consanguineis eius unus frater rubeolis, alter decimo aetatis anno phthisi pulmonali, soror denique, duodeviginti annos nata, eodem hoc morbo animam ediderunt. Ipsa gravida usque ad sextum annum prorsus se sanam fuisse, tunc autem temporis de scala in occiput delapsam laesionibus sibi



contractis longum per tempus laborasse dicit. Magnam quoque sanguinis copiam tum amisisse eam constat. Exinde usque ad XIV annum aetatis qualibet hieme impetigine capitis est correpta, quae tamen primo vere sua sponte evanescebat. Id si exceperis, semper bene se habebat.

Annos nata XVIII, quum chlorosi affecta et magna infirmitate, capitis dolore, nausea, vomitu, palpitationibus cordis diu vexata esset, tum demum ad bonam sanitatem rediit, ubi primum sub finem illius anni menses profluere coeperunt. Quamquam enim primi menses minime copiosi atque haud secundum leges fluebant, tamen illa bene se habebat et fere omnes labores domesticos satis facile perficiebat.

Annos nata XIX menses quarta quaque hebdomade se ostendebant et per quatuor aut sex dies semper perdurabant. Postquam, annum aetatis agens vicesimum, robusto viduo nupsit, intra quatuor annorum spatium ter facillime feliciterque peperit; neque in graviditate nec in puerperio ullae adversae res exstiterunt. Inter tertiam autem graviditatem (fere sub mediam eam) ex saltatione, forsitan etiam quia se vino oneraverat, subito illam morbus quidam peculiaris incescit, qui a medicis allopathicis — qui dicuntur — pro epilepsia habitus, permultis medicamentis adhibitis, minime cessit, ab homoeopathicis autem, pro nervorum debilitate putatus, alimentis nutrientibus nonnullisque medicaminibus internis brevi tempore depulsus est.

Partus interim non minus prospere, quam antea, successerat. Inter quartam autem graviditatem morbus vix depulsus iterum emersit, quamquam brevi et rariore impetu. Partus quoque prospere successit atque inde ex illo tempore impetibus epilepticis nunquam est vexata. Puerperium autem hocce ita illam infregit, ut propter debilitatem, cuius ratio investigari nequit, diu lecto se continere cogeretur, quod antea factum non erat. Trium annorum spatio opus erat, priusquam vires ita collegisset, ut mensi Septembre 1847 quinto

iam concipere posset. Simul cum graviditate existit ultima in regione pubis terebrans dolor, qui sensim augebatur et imprimis ambulando vehementior fiebat, ita ut gravida maxima ex parte in lecto, et in dorso quidem, cubare cogeretur, quo in situ dolor maxime erat tolerabilis. Primo autem graviditatis tempore dolor hic et subitus et vehemens fuit, sed profligatus tantum atque transiens, reliquo tempore in regionem quoque sacralem se extendit, et, durantior vehementiorque factus, miserrimam illam magnopere cruciabat. Coenesthesia autem, quae dicitur, conturbata non fuisse fertur. Lotium fuit rubrum, sed non turbidum, contractura nulla corporis parte visa est. Facies pallida, tumida, oculi splendidi annulis coeruleis circumdati; pulsus mollis et legibus conveniens, lingua muco albo oblecta.

Partus incidit in sextam diem Iunii. Advocata obstetrix quum cognovisset falsum infantis situm, medicum arcessiri iussit, qui, exploratione interna facta, arcum oss. pub. praeter normam invenit coarctatum, ita ut rami descendentes vix pollicem in latitudinem distarent, et, eandem distantiam obtinentes quum descenderent, explorationi maximum opponerent impedimentum. Pars pelvis inferior satis visa est spatiosa ad infantem magnitudinis mediocris transmittendum. Tota pelvis, quam antea obstetrix spatiosissimam fuisse dixit, manifestissime iam osteomalaciae speciem prae se ferebat. Itaque, versione in pedes summa tantum cum opera perfecta, paulo post infans natus est. Puerperium legibus iustis conveniebat, ita ut octo diebus post femina lectum sana relinqueret. Et mirum quantum dolor omnis, quem in pelvi versantem supra commemoravimus, et illa infirmitas plane evanuerant. Morbus quiescere visus est. Sexta quoque hebdomade peracta menses redierunt trium aut quatuor dierum. Quater per mensem apparebant semperque copiosissimi. Femina autem, quamquam erat magna sanguinis emissio, non male, sed melius se habuisse dicitur.

Quum vero sub finem mensis Octobris 1848 non iam apparuissent menses, Iunio 1849 femina, quia se gravidam sentiebat, Dr. Schervieri hortatu in clinicum nostrum se contulit, sectionem caesaream, quae iustabat, intrepida exspectans. Per totam graviditatem illa ab omni simili atque supra nominato dolore libera fuit. Coenesthesia optima erat: suaviter dormiebat, ciborum appetitus magnus atque evacuatio alvi erat iustae legis; pulsus sexagesima quaque horae parte haud amplius septuagies micabat. Exploratio igitur externa nullam praebuit perversitatem; intus autem qui exploraverit statim potuit cognoscere pelvis osteomalaciam, quum arcus ossium pubis rimae formam imitaretur et ossa ischii vix pollicem distarent.

Symphysis quoque prominebat rostrata. In operatione igitur, quae die XXIX. Iulii nostro in clinico modo usitato fiebat, perfecta ab illustrissimo Pr. Dr. Kiliano summa cum dexteritate, infans, cuius pedes primum se obiciebant, vivus extractus eademque via placenta deducta est. Deinde, sanguine compressione eluendoque remoto, suturae fasciaeque sunt factae, ratione illa, quam Cl. Kilianus libri de arte obstetricia illa in parte, quae de operationibus agit, accuratissime subtilissimeque exposuit. Quibus confectis, puerpera in lecto puro est collocata statimque illi decem grana secal. cornut. nonnullis cum guttis tinct. cinnam. atque, hora una interiecta, decem guttae tinct. op. simpl. data sunt, quibus acceptis bene se habuit.

Proximis autem diebus vehemens ingruit peritonaeitis, quae primo glacie imposita, postea hirudinibus atque inunctionibus ungu. ciner. depulsa est. Iam quinto die maxima vulneris pars, in cuius inferiore angulo Sindon erat impositum, clausa fuit; femina quatuor post hebdomades, uno vulnere superficiali in inferiore vulneris angulo excepto, sana clinicum reliquit. In puerperio autem duo imprimis emerserunt symptomata, quae maxime nobis notanda sunt.

Primum exstitit dolor quidam in latere sinistro, qui nonnullis horis post operationem exortus, plurimum inter spiritum ducendum, sentiebatur ac vel minima commotione provocabatur, augebatur. Haud multo post similis dolor in latere dextro ortus est, neque non in regione sacrali, in nucha, in capite. Respiratio gravior facta est et abdomen valde extumuit. Symptomata inflammatoria omnino fuerunt vehementissima. Pulsus ictus sexagesima horae parte ad centum et quadraginta quinque adaucti sunt.

Deinde vomitus saepissime repetitus, quem, duodecim horas ab operatione absoluta incipientem et potissimum liquore quolibet sumto vel ipsa quoque medicina prolicitum, semper levamen quoddam sequebatur. Contra dolorem igitur atque symptomata inflammatoria glacies imposita, hirudines, unguentum cinereum et haec mixtura adhibebantur:

Extr. hyosciam. gr. XVI

aq. lauroceras. ʒ II

aqu. cerasor. nigr. ʒ VI

syrup. simpl. ʒ β

M. D. S. quaque hora cochlear sumendum.

Contra vomitum pilulae glaciales atque pot. Riveri; hac sine ullo eventu, illis aegrotata maximo cum levamine utebatur. Postea iniectiones e decocto althaeae in vaginam factae sunt. Haec hactenus.

Supplementi loco mihi referendum est, feminam semper tenuiter vixisse ac saepissime ab uxore inhumane esse tractatam. Quae profecto duae res, coniunctae cum multis sanguinis emissionibus partibusque crebris, solae sufficiant, quibus in femina illa, iam natura nervosa, morbus, quem demonstravimus, elicitus sit. Vulnus, quod tum, quum e clinico egressa est, reliquum erat, paulo post cicatrice clausum est. Femina quotidie corroborabat ita, ut eius valetudo plane posset bona dici. Eventeratio sola e sectione caesarea relicta in eundo eam impediabat, quod ne fascia quidem ab-

dominali cohiberi potuit. Infans, quamquam vel maxima adhibita est cura, duodevicesimo die post operationem mortuus est.

Secretio lactis fuit valde exigua, nullas efficiens molestias et paulo post omnino evanuit. Redierunt quoque menses et femina bona valetudine fruebatur. Dolor in regionem sacralem atque in pelvim non reversus est; appetitus, coctio, somnus, evacuatio alvi fuerunt bona.

Die XXVIII. mensis Iunii anni 1850 finis erat mensium. Varia quae deinde suborta sunt incommoda, sicuti imprimis vomituritiones, mala animi affectio, dolor dentium profugus, magis magisque illi opinionem confirmabant, denuo sese concepisse, praesertim quum venter in dies cresceret. Ac recte senserat. Nam medio Novembre manifesto primos motus infantis sensit, ita ut iam dubitare non posset, quin gravida esset. — Ceterum valetudo in universum erat bona et ipsa illa incommoda mox dilapsa sunt. Ineunte Martio anni 1851 mihi occasio facta est in clinico nostro obstetricio, ubi venerat, illius visendae. Mirus mihi videbatur optimus eius habitus in universum. Venter, quem iam tunc nobis ostendebat, valde propendebat super arcum ossium pubis, ita ut etiam in dorso iacentis genitalia plane detegeret. Illum qui pertentabat, foetum statim post integumenta abdominis, extenuata saltem, sentire putabat; adeo manifestas singulae eius partes manibus se praebebant. Tum illa omnino nullum dolorem se habere dicebat. Sed circa XIII. diem mensis Martii dolor primo trahens, deinde pungens, incepisse dicitur vexare illam in interiore ventris parte, qui dolor saepe etiam usque ad regionem lumbalem pertinebat. Hic dolor quotidie vehementior maxime sub vesperum oriebatur. — Eodem fere tempore in dextra illa inferiore ventris parte, ubi etiam dolor initium habere consueverat, in cute rubicunda pustulae apparebant, quae mox crustis luteis obdurabant et infra umbilicum, unum fere et dimidium pollicem a linea media ad dex-

tram versus confluentes, integumenta abdominis hoc loco unum pollicem atque quartam pollicis partem in longitudinem et unum pollicem in latitudinem plane perpenetrabant. Ex hoc foramine, quod tamen tum, quum XVII. mensis Martii femina illa in clinicum nostrum recepta est, crustis duris atque luteis etiam obtectum et marginibus purpureis circumdatum erat, saepissime postea et die et noctu subflavus liquor effluebat, qui, quantum ad conspectum, multum habebat similitudinis cum liquore amnii. — Illae igitur pustulae rum fuerint ecthyma, an herpes exedens etc. etc. certo definiri non potest, quoniam praeter ipsam feminam eiusque maritum nemo illas vidit, quorum ex descriptione certius nihil dici potest. Pone tegebat foramen illud membrana tenuissima, quae aut peritoneum, aut velamenta ovi, aut formatio aliena et esse et haberi poterat.

### Status praesens diei XXVI. Martii.

Est illa femina corpore quidem parvo, altitudine non amplius pedum quatuor et dimidii. In universum pro magnitudine satis valida et robusta neque macie deformis est. Color praesertim faciei et pectoris candidus, cutis ipsa mollis, tenera; capilli caerulei. Nigri fulgentesque oculi et clari sunt et vivi, sicuti eius animus. Corpus nulla parte est incurvum, ita ut illa erecta et facilis incederet, nisi dolor, de quo antea iam diximus, in regione hypogastrica et sacrali eam impedirent. Ille dolor, qui infra umbilicum natus maxime noctu adest, sed motibus etiam per diem excitatur, adeo nonnunquam est vehemens, ut misera non solum somnum capere non possit, sed ut gemat et ploret nonnunquam, neque ullo situ, neque ullo levamine adiuvari queat. Sequitur ille plane typum febris quartanae duplicis atque usque ad id tempus aqua laurocer. emulsioni amygdalinae admixta sine fructu adhibebatur. Maxime sese adiutam esse putat aegra illa pulvillo

herbis referto, qui saepius calefactus regioni sacrali imponebatur. Pulsus frequens centies aut centies et decies sexagesima quaque horae parte micat atque irritatus est; appetitio ciborum minime fortis, sitis parva, evacuatio alvi regularis et facilis, urina rara et aliquid fusciori colore, sedimentum ex albo griseo habens, cui salia ammoniaca phosphorica admixta sunt. Sed reddere eam sine difficultate potest. Lingua muco albo, tenui oblecta, somnus propter dolorem, quem diximus, parum felix est.

### EXPLORATIO EXTERNA.

Mammae satis sunt magnae, sine indurationibus et candidae; papillae bene formatae, sed paullum retractae, areola e nigro-fusca magnitudinem thaleri habet; glandulae Montgomerianae distinctae neque raras sunt. Auscultatio et percussio toracis nihil docet, quod displiceat. Venter paulo eventeratio, si in dorso iacet, supra pelvem in latitudinem extentus est, quod autem intestinis effici apertum est. Umbilicus situ paene adaequat spinam anteriorem-superiorem utriusque lateris, et quae pars ventris infra umbilicum sita est, dependet ad dimidium femur, ut genitalia plane contingantur. Percussio abdominis usque ad umbilicum et pollicem supra eum fuscam uteri sonum dedit; in superiore parte est sonus intestinorum. Maxima latitudo partis illius eventeratae XLIII centimetrûm est, maxima longitudo ab umbilico ad symphysin ossium pubis XLIV. centimetrûm. Si mensus eris spatium ab una spina ant.-superiore usque ad alteram per eventeratam partem, habebis LVI. centimetra, si circuitu totum tumorem LXXIV. centimetra.

Hac igitur parte eventerata foetus totus concluditur, cuius caput manifestissime prehendi potest sinistrorsum, ita quidem, ut statim post integumenta abdominis iacere illud putares. Strepitus placentaris atque ictus cordis ex foetu distincte audiri possunt.

Infra umbilicum septem pollices, e regione mediae liniae ad dextram unum et dimidium, foramen illud invenitur non amplius nummo quinque grossorum, quod iam supra demonstravimus. Eodem adhuc fere est statu, praeter quod margines non adeo sunt rubicundae. Liquor idem stillat, qui antea, etiam-tum. Tenuis illa, quae pone est membrana, nunc plana, nunc paulo convexior videtur ac nonnunquam post illam aliquid duri animadvertitur. Integumenta, quae circa sunt, colore e fusco-rubro et magnopere intenta sunt.

### EXPLORATIO INTERNA,

Genitalia externa mollia sunt, satis ampla et calida. Intrare conantibus in vaginam, statim animadvertitur nobis magna tuborum ossis ischii appropinquatio, sicut etiam in adversa parte rami horizontales et descendentes ossium pubis in modum rostrorum coarctantur, ut arcus ossium pubis ne pollicis quidem intervallum relinquat. Ulterius magna curvatio ossis sacri animadvertenda est, ut os coccygis et vertebrae ossis sacri in modum anguli recti demitti videantur. Promontorium assequi non potui, quia ossa pubis prominebant modo, quo diximus. Neque portionem vaginalem inferiusve segmentum uteri assequi potuimus. Ceterum vagina mollis, lubrica, ampla et calida est. Doleo, quod pelvimensio externa satis prompte institui non potuit, propterea quod femina illa in lectu semper iacens sudabat, et si movebatur solummodo paullulum doloribus afficiebatur. Distabant autem tubera ischii circiter decem et septem lineas; spinae ossis ilium ant.-sup. octo digitos et quatuor lineas<sup>1)</sup>, ita ut illa distantia, quae statu normali, quod dicitur, qua-

---

1) Illud plane congruitur cum illo modo, quem medicus Dr. Feld superiore anno invenit: hoc pro certo affirmari non potest.



tuor est digitorum, duobus digitis et septem lineis, haec, quae generatim est novem digitorum et trium linearum, undecim lineis sit diminuta. — Itaque, etiamsi forma pelvis osteomalacica iam rostro, quod perbene et manifeste distingui licet, demonstrari non possit, tamen propter illos modos rhachitica pelvis contractio, (quam iam quatuor priores illi partus felices feminae nostrae excludunt) non modo non statui, sed ne cogitari quidem posset, quum uterque ille modus in pelvi rhachitica maior, quam lex generalis praescribit, inveniri soleat.

Nulla igitur dubitatio esse potest, quin nobis res sit cum pelvi osteomalacica et quidem eiusmodi, cuius coarctatione sectio caesarea plane indicata sit.

Iam plurimum interest inquirere, quae sit morbi causa quonamque tempore ille ortus sit. At nihil certi iam constat, sed tantum nobis opinari ac conicere licet. Quae mea sit sententia, audias. Memineris, feminam, cum qua nobis agendum est, iuventute iam aliquo modo scrophulosis indicia prae se ferre. Ubi primum annos natae septemdecim menses profluere inceperunt, postquam anno superiore chlorosis accessit, indicia scrophulosis simul cum chlorosi abierunt, ita ut satis bonae esset valetudinis. Deinde annos nata viginti, quum nupsisset viduo pervalido, cui iam plures erant liberi, at vix ad alendum unum, intra quatuor annorum spatium ter peperit. Impetus illi, morbo epileptico similes, qui in tertia iam graviditate aderant, sed tamen victu forti validoque et vitae ratione bona (quod maximi est momenti) amoti erant, redibant, quarto quum esset gravida.

Post hoc puerperium duos per annos illa adeo infirma et invalida erat, ut tertio demum anno post satis corroborata esset ad quintam conceptionem. Media graviditate trahens ille et terebrans dolor in pelvi exstabat, qui cundo crescebat, iacendo autem (quod tenendum est) diminuebatur. In hoc denique partu coarctatio osteomalacica manifeste iam animadver-

tebatur a Dr. Schervier, nam, reliqui omnes partus quum facillimi fuissent, tunc versio in pedes nisi multa cum difficultate fieri nequibat.

Haec si tenebis, lector intelligens, iam consenties mecum, feminam illam inde a pueritia dyscrasia quadam, modo magis modo minus distincta et manifesta, affectam neque tum ab ea liberatam fuisse, quum in matrimonium duceretur. Hoc autem coniugium, tantum aberat, ut corpus infirmum illius et invalidum erigere et corroborare posset, ut victus manci et deficientes, maerores perpetui, quin et iniuriae, quae et corpore et animo illi erant sustinendae, crebri partes denique: haec omnia ut morbum, si forte dormiebat, excitare, augere, propellere deberent. Inde iam inter partum tertium illi, morbo epileptico similes, spasmi impetus, qui, ut supra diximus, in breve tempus victu alibili et regulato amoti, iam quarta graviditate etsi paulo minus vehementes redibant; inde illa puerperium hoc statim insequens infirmitas et debilitas, quae, quamquam sine dolore, aliam causam habere non potuit, quam interiorem dyscrasiam; inde denique quinta graviditate dolor significantissimus, deformitates illae manifestae, osteomalacia non dubitanda.

Docemus igitur hac nostra deductione, eandem illam dyscrasiam, quae prima aetate scrophulosis erat et systema glandularum occupabat, quum indolesceret virgo, systema vasorum, quum nupsisset, systema ossium infecisse.<sup>1)</sup>

Quantum ad tempus attinet, quo illa dyscrasia osteomalaciae naturam ostenderit, mea quidem sententia pro certo hoc ante quintam graviditatem poni non potest, nisi forte quis illam infirmitatem ac debilitatem, statim quartum puerperium insequentem, pro initio osteomalaciae habere malit,

---

1) Huc referri posse puto illam E. C. J. v. Siebold sententiam, qua dicitur, pelvem coarctatam saepissime coniunctam inveniri cum arthritide, rhachitide, scrophulosis etc. inde a pueritia.

aut illos ipsos iam impetus spasmi, quos cum morbo osteomalacico coniunctos inveniri haud ignoro<sup>1)</sup> Nam si quis dicere vellet, osteomalaciam eam ob causam quarta demum graviditate emersisse, quod tum primum dolor ille in pelvi sese ostendisset, hoc iam nullius esset momenti argumentum, quippe quum eadem femina argumento sit, osteomalaciam etiam sine dolore gliscere posse. Quamquam enim inde a partu quinto usque ad sextum nullus interfuerat eiusmodi dolor, tamen sexto in partu pelvis adeo coarctata fuit, ut versio in pedes iam non esset cogitanda, sed sectio caesarea plane necessaria.

## DIAGNOSIS,

de qua iam nobis dicendum est, difficillima erat. Pro certo enim definiri non poterat, utrum re vera membrana, quae cernebatur pone vulnus extenta, essent velamenta ovi, an aliud quid. Deinde etiam exploratio ipsius cavi uteri quum difficillima, tum periculosior videbatur. Sed tamen et maximus tumor ventris, et, quae contrectando efficiebatur, certa opinio, foetum statim post integumenta abdominis situm esse, et dolor, quem quandocunque movebatur foetus, mater ibi sentiebat, — quae quidem omnia non minus graviditate uterina ita se habere possunt —, et foramen illud in imo abdomine, pone quod quae erat membrana velamenta ovi maxime aequabat, et liquor denique qui effluebat, quique liquor amnii esse videbatur: haec omnia fieri non potuit, quin nobis, omni adempta paene dubitatione, persuaderent foetum per disruptam cicatricem uteri excessisse in cavum abdominis atque ibi, circumdatum velamentis, inter uterum, in quo etiam nunc habitaret placenta, et inter integumenta

---

1) Cf. Walach, Frank.

abdominis situm esse. Haec diagnosis eo verisimilior erat, quod re vera talia occurrunt. <sup>1)</sup>

Dolor ille, de quo supra diximus, perdurabat usque ad diem XXX. Martii et miseram valde infrungebat, ita ut pallida, exhausta iaceret, facies gravem aegritudinem prae se ferret. Die, quem significavimus, prima hora post mediam noctem, dolores inceperunt, satisque legibus consuetis celeriterque deinceps subsequebantur. Genitalia erant calida et quasi spongiae instar, introitus vaginae spatiosus, vagina ipsa ampla, lubrica, mollis et pituitae flavae purulentae satis abundans; portionem vaginalem nemo assequi potuit. Strepitus placentaris ab umbilico tres pollices ad dextram maxime audiebatur et congruens cum pulsu arteriae radialis; strepitus autem cordis ex foetu duos pollices ab umbilico ad sinistram sentiebatur. Valde aegrota nostra sudabat, ita ut hora undecima lintea commutare necesse esset. Ceterum aequo animo operationem exspectabat; pulsus eius paulo plenior micabat centies decies octies per horae partem sexagesimam sicut et pridie; urina, quam undecima hora non adeo magna multitudine dedit, fusca erat, inquirendo biliosa inveniebatur, multum grisei sedimenti relinquebat, quod, num salia phosphorica contineret, statim inquiri non potuisse, ac postea effusum esse, dolendum est. Postquam usque ad meridiem oreificio uteri tempus datum est, ut satis aperiretur, iam subsecuta est, quam nunc narraturus sum,

1) Cf. Prael. Holscher. *annal.* 1843 fascic. 6, ubi de casu nostro consimili disseritur. Hic quoque postrema graviditatis hebdomade in cicatrice superioris incisurae primo unum tantum, deinde pluria ulcera cernebantur (quae tamen num perforantia fuerint, necne, de eo nihil dicitur); sed nihil amplius de ea re additum inveni, nisi hoc, postea integumenta rupta et foetum ex utero, qui haud minus scissus fuisset, expulsus esse, tum etiam propter infantis partes manifestissime contrectandas de graviditate extrauterina cogitatum esse.

## OPERATIO.

Femina quum iam in alterum conclave, quod parturientibus destinatum atque institutum est, delata esset, ita in mensa operationis, quae appropinquata erat fenestrae, collocata est, ut plena lux diei in ventrem caderet. Duo ex illis, qui adiuvantes assisterent, ad sinistram manum illius positi erant, eo munere fungentes, ut, operatio dum fieret, integumenta ventris palmis impositis premerent, itaque, intestina ne exciderent, prohiberent; duo alii, genibus inflexi, eam provinciam sustinebant, ut porrectos feminae pedes continerent, ne incommode moverentur; duo etiam manus tenebant; septimus praebebat, quibus opus erat, instrumenta; alius denique aegrotam recreandam curabat, si forte necesse esset. Quae omnia postquam iam ante meridiem praeparata sunt, ac percussione sibi persuasum est, nulla esse implicata intestina inter uterum et integumenta abdominis (adnotandum etiam mihi videtur, palmae quum imo in ventre impressionem fecissent ad regionem superiorem dextramque, ex loco integumentorum perforato circiter dimidiam unciae partem liquoris e flavo-viridis sparsum esse) — tum, qui operationi praefuit, doctissimus honoratissimusque Prof. Dr. Kilianus noster, qui, ut in ducendo cultero plenam lucem ante aciem haberet, ad dextram se collocaverat, sumto scalpello aciei curvatae, admovit illud abdomini duas vel tres lineas infra umbilicum admotumque leni ductu deorsum ad dextram ducebat usque ad partem perforatam. Deinde singulis parvis incisuris integumenta abdominis ab eo plane percissa sunt. Omentum maius, quod post integumenta abd. percissa primum sese praebebat, neque propter degeneratam formam et propter cohaerentiam cum adiacentibus partibus submoveri poterat, quum etiam celeriter scissum esset, uterus sub rima apparuit; deinde et hic eadem e regione, qua sectio integumentorum facta erat, primum leniter

incisus, tum ductibus levibus ac celeribus plane scissus est. In superiorem angulum, unde initium factum est, statim digito immisso, incisura super hunc deorsum prolongata est, quoad Prof. honoratissimo videbatur. Uteri incisura sex et dimidium, integumenta septem digitos longitudine habebant. Velamenta ovi integra manebant. Forte igitur quum evenisset, ut, quae in uterum facta erat, incisura congrueret cum illo loco, quo placenta inserta est, ea re eognita, operator, duobus digitis sinistrae manus utero iniectis, celeriter placentam solvit solutamque depromsit, quo facto, iam caput infantis ex vulnere visum est. Cultero abiecto duobus manibus celeriter illud comprehensum atque elatum est. Quae reliquae erant partes corporis, quamquam ab utero in regione mammali circumcludebantur, quum haud adeo vehementes tractae essent, secutae sunt. Sicuti infans paulatim extrahebatur, manus illae, quae, ne intestina exciderent, impositae erant, subsequabantur, eo quoque consilio, ut, quominus aer in cavum abdominis invaderet, prohiberent. Infans, quum vix caput natum esset, fortiter clamare coepit; liberatus a funiculo umbilicari ad curandum delatus est. Mater, quae usque ad id tempus operationem forti animo sustinuerat, neque artum ullum moverat neque vultus immutarat, tum vertigine quadam ac nausea affecta est, quam ob causam prius aliquid aquae, deinde etiam vini admixti ac nonnullae guttae tincturae opii simplicis ei data sunt. Quo facto vulnus iam a coagulis sanguineis, quae crebra sese colligebant, expurgatum, abdomen abstersum atque ad claudendum vulnus accessum est; quod sutura nodosa ita factum est: Fasciolae latae duas circiter lineas, sericae, una pars extrema acubus curvis et ancipitibus, longis quatuor digitos, per integumenta abdominis, dodrantem digiti procul ab incisura, perducta est; deinde quum eodem modo alter finis fasciolae per alterum vulneris labium intus transfixus esset, ansa in dextra parte anceps nexa est. Ita quatuor eiusmodi fasciolae, singulos digitos et quartam par-

tem distantes, innexae sunt, ut vulnus usque ad partem perforatam, quae erat angulus inferior, et, ut locum daret discernendis, aperta remanebat, clauderetur. Praeterea autem, quia angulo in superiore et medio in vulnere labra non arcte haerebant, duobus his partibus sutura circumvoluta adhibita est. Feminae, postquam denuo aliquid aetheris sulfurici et vini recreandae datum est, quatuor aut quinque lacinae emplastri adhaesivi, duos digitos latae, ita circum totum abdomen depurgatum circumpositae sunt, ut et accurate inter se cohaerent et supra vulnus decussarentur. Insuper has lacinias lintea carpta et oleosa et dein sicca, denique compressa, quae vocatur, totum fere abdomen tuens, et ipsa quoque emplastro adhaesivo obligata, imposita sunt. His factis femina recentibus investmentis induta in lectum satis calefactum delata est, ubi in dorso, volumine aliquo sub genibus subdito, iaceret.

Infantis diametri erant, quae sequuntur:

diametrus capitis maxima	5	poll.	et	3	lin.
„ „ recta	4	„	„	9	„
„ „ transversa maxima	3	„	„	9	„
„ „ „ minima	2	„	„	9	„
„ humerorum	4	„	„	6	„
„ coxarum	4	„	„	—	„

Pondus infantis effecit libras VI et uncias novem, longitudo infantis pollices 17, funiculi umbilicalis 23 poll., pondus placentae libram unam et dimidiam.

## PUERPERIUM.

$\frac{30}{8}$ . Hora  $12\frac{1}{4}$  meridiei puerperium incepit. Aegrotā, ubi primum ei depurgatae fascia applicata est, nauseabat atque evomuit aliquid lactis coagulati, vini rubri et aquae, quas res paullo ante sumpserat. Tum vero recentibus induta vestibis delata est in lectum satis bene calefactum. Ibi quum

vix iaceret, secundo evomuit eadem fere, quae paullo ante. Data ei sunt decem guttae tincturae opii simplicis, quo facto ubi, hominibus supervacaneis remotis, cubiculum tranquillius est factum, post dodrantem horae ab operatione paullisper obdormivit. Arteriarum pulsus erant centum quinque, i. e. decem et sex ictibus pauciores, quam ante operationem; erantque satis fortes. Postquam igitur unam et dimidiam horam dormivit, aegrotā experrecta ardentem conquesta est sitim, quae aqua glaciali depulsa est. Animus eius tum bene erat affectus, ut, quum infantem ei ostendissent, de intimo corde risum ederet. Quo remoto, mox somnum rursus cepit, sed per dimidiam tantum horam; experrecta potum rogavit dormivitque tranquille ad secundam quadrantem quintae horae, arteriis centies per minutam micantibus.

4  $\frac{1}{4}$  hor. Aegrotā rursus experrecta, sitim conquesta appetitum potionis e limoniorum pomis confectae declaravit, quae ei praebita est. Dormivit tum usque ad quintam horam qua experrecta gravem sitim flagitata aqua glaciali sedavit; etiam de dolore alvi querebatur, qui tamen mediocris tantum esset.

6. hor. Aegrotā, postquam per dodrantem horae tranquille dormivit, experrecta, nunc non sitim, sed dolorem quæstā est, qui, profectus a pelvi per dorsum usque in humeros diffunderetur.

7. hor. Aegrotā a sexta usque ad septimam horam tranquilla erat; querebatur interdum dolorem trahentem, et saepe frigidam potionem poscebat. Pulsus frequentior esse coepit, iamque tum magna irritatio aderat. Dolor enim crescebat factusque est acutus atque pungens; venter intumescēbat; spiritum difficultate aegrotā ducere poterat. Circa septimam et dimidiam horam vomitum civit, quod quidem iteratum neque non nisi cum acerbo dolore et labore factum est. Itaque pilulæ glacie confectae ei datae sunt, quod remedium cum in prima sectione caesarea his conditionibus egregie adjuverat.



Circa octavam et dimidiam horam libido alvi solvendae urinaeque faciendae apparuit, pelvis suppositoria ei subdita est satisque crebrem illa urinam reddidit.

9. hor. Pulsus ictus erant centum viginti, aegrota inquieta facta, corporis situm immutare cupiens, femora versus ventrem contrahebat.

10. hor. Pulsus duriusculus habebat centum quadraginta, et ad undecimam horam centum quinquaginta ictus. Usque ad decimam et dimidiam horam vomitus nullus; inde ab eo tempore ructus, quo nunquam non mucus eiectus, quod quidem paullatim auctum est. Usque ad undecimam horam vomitus cum motione et convulsione ventris coniunctus non erat; post hoc usque ad undecimam et dimidiam horam vomitus cum mediocri convulsione incepit continuatusque est sine ulla fere intermissione.

12. hor. Pulsus centum quinquaginta ictuum. Aegrota fere decima quaqueminuta vomebat et eiiciebat pituitam liquidam tenuemque et acidum olentem, atque conquerebatur contrahentem simulque acutum pungentemque in regionibus inframam- malibus dolorem, qui quidem et externa pressione et respiratione crescebat; qua de causa spiritum ducendi spatium dimidio brevius erat, quam reddendi. Vomitus usque secundam et dimidiam horam continuatus est. Ad id tempus duo cochlearia minora emulsionis e amygdalis amaris, aqua lauroc. et extr. hyosc. paratae data erant, praeterea quoque octo guttae tinct. opii simpl.

$\frac{1}{2}$  3. hor. Ab hoc tempore medicamenta non iam praebita sunt, neque aqua hausta, sed os tantum elutum, quod propter vehementem sitim quinta quaque minuta factum est. Tertia quaque dimidia hora unguentum ciner. cum extr. opii commixtum ad magnitudinem fabae interiori femorum parti infriatum est, praeterea urcei calefacti ad plantas pedum, suras genuaque oppositi. Somnus aegrotam plane deficit.

7. hor. Usque ad hoc tempus aegrota non iam vom-

uerat; sitis eius erat magna, cutis vero humida. Aegrota denuo fecit conatum aquae hauriendae; bene hausta est neque eructata. Quam ob rem etiam mulSIONem putavit denuo sumendam; eam vero ferre non poterat, sed omnem, quam sumpsit (erant vero circiter drachmae duae et dimidia liquoris) cum mucO post quinque minutas evomuit, saepiusque id repetitum est.

8. hor. Continuatur vomitus, quapropter quatuor guttae tinct. opii simpl. cum succharo datae, sed item cum mucO acidissimum olente eructatae sunt. Pulsus centum quinquaginta quinque ictuum.

9. hor. Continuatur vomitus, vomitumque est intervallis binarum, quinarum, ad maximum denarum minutarum. Pulsus parvus atque duriusculus centies et quinquagies micat. Inde a decima hora vomitus quidem paullulum rariores, sed magis dolorosi; tunc etiam tussicula est orta, quae acerbissimos dolores ciebat.

11. hor. Pulsus erat plenus et durus et centum sexaginta ictuum. Ad utramque ventris pectorisque partem viginti hirudines admotae. Vomitus continuatur, inciditque intervallis nunc minusculis nunc maiusculis, nunquam tamen viginti minutarum spatium excedentibus. Vomituritiones autem crebriores aderant. Spiritus difficultate aegrota laborabat magna. Pulsus erat centum septuaginta ictuum; facies frigida; ceterae corporis partes vero calidae humidaeque.

1. hor. Clystere aqua cum oleo olivarum est infusa, quo facto, liquida alvi evacuatio facta est. Aegrota tum in lectu recente est collocata, quo admodum infirmata est. Ventris dolor post clystina adhibitum hirudinesque admotas valde imminutus est neque venter iam tumefactus. Circa secundam horam a spectatissimo Prof. Dr. Kiliano ipso ligamen est renovatum, ita ut recens linteum carptum vulneri imponeretur. Vulnus quidem satis bonam prae se ferebat speciem Aegrotae tum quattuor guttae tinct. op. simpl. datae sunt nec

eructatae, 1. ng. ciner. cum extracto op. simpl. in-  
teriori femorum parti infricatum est; tum puerperae subinde  
sorbitio carnis cum cochleari minore praebita est.

2. hor. Vomitus continuatus a quinta quaque ad deci-  
mam minutam Sorbitio carnis quoque statim eructata ne-  
que amplius igitur praebita est. Parvus debilisque pulsus  
centum octoginta ictuum. Manus frigidae et obductae sudore;  
pedes calidi.

5. hor. Pulsus in minutam citatior debiliorque fiebat  
ita ut circa sextam horam vix numerari et sentiri posset.  
Aegra vomit quinta quaque minuta et quidem acidam pituitam  
vitream. Circa sextam horam illa sumpsit viginti quinque  
guttas tinct. op. simpl. uno haustu, quae tamen post non-  
nullas minutas eructatae sunt; denuo sumpsit decem eiusdem  
tincturae guttas — frustra; nam hae quoque eructatae sunt.  
Paullulo post sextam horam duo vini Compano-Gallici cochle-  
aria perrecta sunt, circa sextam et dimidiam horam roganti  
tantundem, quod statim eructatum.

7. hor. Vomitus recrudescit saepiusque repetitur, quam  
antea. Arteriarum pulsus erant circiter ducenti triginta; fa-  
cies immutata; respiratio citatus, anhelitus. Pulsus in minu-  
tam debilitabatur neque ad extremum sentiri poterat, atque  
circa nonam horam cum spasmis evenit mors. Hi quidem  
primo convulsionis naturam habentes crura corripuerunt, paul-  
latim in superiores corporis partes, ventrem, pectus, brachia,  
caput diffusi, postremum vitae finem imposuerunt.

### SECTIO.

Sectio primo die Aprilis hora undecima matutina facta  
est, i. e. tredecim horas et dimidiam post mortem. Eius  
summa haec sunt:

Rigor mortis iam in dextero brachio; maculae ferales in  
tota corporis parte postica. Oculi collapsi sunt et odor pu-

tridus proficiscebatur ex ore et vulnere ventris. Pectus dabat ubique clarum sonum percutienti; venter valde tumidus et adhuc admodum calidus; supra umbilicum et duobus digitis infra sonum dabat tympaniticum clarum, contra in regione pubis tympaniticum fuscum. Inter margines vulneris ventris ubique, excepto inferiore vulneris angulo, iam admodum solidae et compactae filamentosae adhaesiones effectae erant. Post abdomen apertum magna caloris temperatio, omnibus admirabilis, animadversa est, quin etiam vapor calidus inde surgebat. In sinistro latere sub ipsis integumentis abdominis circiter unciae tres sanguinis, decoloris inveniebantur. Peritoneum, imo in ventre, quatenus eventeratio pertinuerat, unam lineam et dimidiam crassum, sicut integumenta, corii instar contrectabatur; colore autem erat fusco. Tela cellulosa inter cutem et peritoneum prorsus evanuerat. Musculus rectus uterque ad latus declinatus erat et in medio septem aut octo pollices distabat. Cum utero et omento maiore peritoneum diversis locis monstruosum in modum coalitum erat. Uterus post integumenta abd. replicata videri nondum potuit, sed obtectus erat omento maiore, in inferiore parte valde conspissato, quod in dextra parte fusca quadam, fibrosa et musciosa massa interiecta, (quae in latitudinem usum pollicem et dimidium, in crassitudinem pollicem semissem et in longitudinem fere dodrantem pedis perrecta erat) cum integumentis abd. et utero concretum erat, sed non adeo tenaciter, ne solis digitis inde secerni posset. Hanc massam inflammatione, in prima sectione caesarea exorta, natam esse manifestissime apparuit. Increverat diversis intervallis, remota a loco perforato unum pollicem aut unum et semissem aut duos, sursum dextrorsum deorsumque ita in uterum et integumenta abdominis, ut recessus quidem haud ita parvus conformaretur, qui igitur una ex parte utero, altera ex parte integumentis abdominis circumscribatur. Uterus, qui magnitudine aequabat magnum infantis caput (erat enim a medio fundo usque ad

anterioris orificium uteri septem pollicum et dimidii et in maxima diametro corporis sex pollicum) contractus, hiante vulnere et in pelvis introitu situs erat, neque nisi remota massa illa conspiciebatur. Is quum iusto situ iaceret, vulneris sectione caesarea facti tertiam tantum partem cernere licebat, quippe quod maximam partem in postico utero a sinistra ad dexteram pertineret. Vulnus, quatuor fere pollices longum, admodum distentum erat impletumque haud mediocribus velamentorum ovi reliquiis ooagulisque sanguinis; labra vulneris crassitudinem unius pollicis et dimidii habebant. Ad laevam, circiter sex lineas a labro vulneris sinistro, paullulum a sinistra ad dextram, sex lineas a ligamento rotundo pertinens, cicatrix <sup>1)</sup> superioris incisurae caesareae conspiciebatur. In eius inferiore parte, unum pollicem et semissem ab inferiore angulo novae incisurae ad sinistram et paullulum deorsum, rotandum foramen, sanguinis coagulis refertum, et sursum deorsumque tenui et pellucida membrana circumdatum, magnitudinisque grossi animadvertitur. Id quidem prorsus penetrabat in uterum. Iuxta ipsum inferiorem huius foraminis marginem, paullulum sinistrorsum, pertinebat rotundus rubellus funiculus, qui musculorum speciem habebat et dodrantem pollicis latus, duos autem pollices et dimidium longus erat, quique, e regione ligam. rotund. pertinens, ad sinistrum horizontalem, ut dicunt, ramum ossis pubis in tegumenta abdominis inserebatur. In laeva dextraque regione lumbari, itemque in pelvi circa uterum fere unciae quinque seri cruenti, decoloris, prorsus similis ei, de quo iam supra sermo, reperiebantur. In tractu intestinorum et in stomacho, qui omnino vacuus et modo hic illic massa flava, viscida, albuminis instar coopertus erat, nihil offendebat, neque quidquam in hepate, splene renibusque erat, quod a natura recederet. Pectus et caput patefacta non sunt.

---

1) Haec cicatrix postea accuratius describam.

## EPICRISIS.

Hoc in casu, qui ab omnibus observetur dignissimo, quatuor potissimum res sunt, quae attentiore cum animo ac mentis cogitatione inquiri volunt. Sunt haec quidem:

1) Unde illa impetigo, quae postremis graviditatis mensibus imo in ventre orta, integumenta abdominis perforavit?

2) Quo tempore ac quali modo foramen uteri exortum est? Priusne adfuit, quam foramen integumentorum, necne?

3) Quam ob causam secunda sectio caesarea a femina non aequè bene feliciterque sustentata est, ac prior?

4) Unde factum est, ut ad vomituritiones illas compescendas omnia medicamenta frustra adhiberentur?

Quamquam amplecti cogimur, quae pulcherrime ab Hallero dicta sunt: „In das Inn're der Natur dringt kein erschaffner Geist,“ tamen, quantum meae quidem vires pollent, ex universis morbi conditionibus eas causas eruere conabimur, quae illas res aliqua ex parte illustrare possint.

Quod igitur attinet ad primam quaestionem, memineris, impetigini illi dolorem fixum complurium dierum in interiore integumentorum parte antecedere, ac deinde eodem hoc loco, ubi dolor sentiebatur, externam impetiginem exoriri. Sectione certiores fiebamus, in eviscerata parte peritoneum inflammatum, crassum unum et semissem pollicem, fuscum, scorteum, durum fuisse, telam cellul., inter illud et cutem sitam, plane evanuisse. Inde sequitur, has partes diu iam ante nostram sectionem caesaream inflammatas fuisse, neque non ante impetiginem externam, quod confirmari videtur maxima illa abdominis sensibilitate per postremas quatuordecim dies. Quomodo et quamdiu autem ante sect. caes. inflammatio suborta sit, hoc pro certo dici non potest; quamquam verisimile esse puto, simul cum osteomalacico illo dolore et inde eam natam esse, quod eodem tempore, utero disrupto, aut spurius aut genuinus liquor amnii in cavum abdominis influebat, quo facto peri-

tonaeum inflammabatur. Fieri tamen poterat etiam, ut inflammatio e perpetuo uteri et integumentorum attritu eveniret.<sup>1)</sup>

Quae equidem de ea re sentio, haec sunt: circumscripta peritonitide et eo, quod inferior pars omenti maioris hac inflammatione quoque affecta erat, recessus, quem supra demonstravimus, ortusest. In quem quum secreta illa, liquori amnii similia, essent profusa, seu sponte, seu pressu e foramine externo effluebant. Itaque sicuti in similibus saepissime accidit, exempli gratia in abscessu hepatis<sup>2)</sup>, renis, in tumoribus ovar., qui in suppurationes<sup>3)</sup> transierunt, ut natura massam perniciosam eiusmodi subortam eiicere studeat, eadem ratione hic quoque inflammatio externa exstitit, et ea quidem praeter consuetudinem in modum impetiginis spissae, quae mox gangraenae natura accepta integumenta perforabat, quo facto per hoc foramen secernendis exitus erat.<sup>4)</sup>

Uterus igitur in vetere cicatrice prius quam integumenta abd. diruptus esset et mea quidem sententia hocce modo.

Prope inferiorem marginem partis perforatae in utero musculosum illud neoplasma erat, quod una ex parte hoc foramine, altera ex parte ramo horizontali sinistri oss. pub. arcte continebatur. Sicut igitur uterus praegnans magis magisque amplificabatur, necessario, ubi illud utero inserebatur, tractus, in dies extensione auctus, exortus est. Denique quum cica-

---

1) Cf. P. Frank. »Specielle Pathologie u. Therapie«. vol. II, p. 180.

2) Cf. Klein interpr. clin.; Bonet sepulchretum. tom. II, p. 297.

J. v. Lil, Verhandelingen van het botausche Genootschap te Rotterdam. Deel 4. f. 128.

Ferd. Jahn, Die Naturheilkraft.

Maximilian Stoll, Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus.

3) Cf. P. Frank, »Specielle Pathologie u. Therapie«. tom. II, p. 181 et 304.

4) Cf. Prael. Holsch. ann. 1343 fasc. 6, p. 701.

tricus tela iam resistere non posset, eam dissilire necesse erat. Illa ipsa formatio nova, quam supra neoplasma dixi, praecipue magnam antroversionem uteri effecit; nam ea retentus uterus non ita erigi potuit, sicuti solet, sed tractum illius sequi coactus supra ossa pubis inclinari debebat. Sectione priore caesarea hanc antroversionem adiuvari necesse erat. Neque ulla dubitatio esse potest, quin foramen illud hoc tractu ortum sit. Licet id nobis persuadere etiam nunc, periculum facientibus mortuo in utero. Nam si paululum tantum traxeris formationem illam novam, statim foramen distendetur.

Quantum ad quaestionem tertiam et quartam, iam maxime est necessarium, ut, quibus se femina conditionibus habuerit, quum prior et quum altera ei operatio facta sit, comparemus.

Sexta graviditas, id quod docet anamnesis, omnino impedita non erat feminaque usque ad operationem optime se habebat neque dolore cruciabatur. Bene erat nutrita, valida; intra legum fines omnia se tenebant, pulsus LXV—LXX ictus nunquam superabat.

Aliter autem res sese habebat in septima graviditate. Nam, quod facile in memoriam revocaveris, postremo mensi dolor maximus fere perpetuus, noctu vehementior ortus, non modo feminae somnum eripiebat, sed concoctionem etiam turbabat atque systema vasorum adeo irritabat, ut pulsus semper amplius centies micaret. Itaque quum tempus pariendo appropinquaret, infirma, debilis, plane aegrotata erat. Quid mirum, quod, si ita rei conditiones sunt, operatio facilius magisque mortifera esse potest, quam si meliores se habent. <sup>1)</sup> Si forte quis obiicere mihi vellet, homines infirmos,

1) Cf. *Abhandlungen aus dem Gesamtgebiete der theoretisch-practischen Geburtshülfe nebst beschreibenden Erklärungen desselben. Nach dem Französischen des „Maggrier“ bearbeitet und mit Anmerkungen versehen von Ed. Casp. J. v. Siebold. Berlin 1829.*



macros, doloribus cruciatis, quin etiam feбри hectica affectos, plerumque melius sustentare operationes, quam robustiores, sanguine abundantes, validosque: huic respondebo, bene me scire, brachio aut crure, carie laborantibus, amputato, corpus delictum, ut ita dicam, ac mali fontem plane amoveri posse. Sed id a nobis hic fieri non potuit. Nam recessus ille et inflammatio integ. intern. remanebat nihilominus sicut et osteomalacia; accedebat etiam sectio caes. vexantissima. Ad hoc (quod gravissimum est) uterus adeo infeliciter situs erat, ut incisura maximam ad partem incidere in posteriorem uterum, atque fundum uteri finderet. Tum autem, quominus secreta profluerent in pelvem, nervos ibi creberrimos premerent, denique alieni corporis vim exercerent, prohiberi non potuit. Praeterea vulnus, situm in promontorio, semper dirumpebatur atque irritabatur.

Simul autem cum fundo uteri illi nervi laesi erant, qui ex medulla spin. ad eum perducunt. Atque quum hac ex causa, tum ex impressione secretorum, quae excesserant, irritationeque perpetua vulneris in promontorio, tum omnino operatione vexantissima evenisse puto vomituritiones haud compescendas irritationemque vehementissimam nervorum.

Manifestissime inde sequitur, non adeo sectioni caesareae, rationi, qua facta, quaque femina postea curata est, malum eventum tribui licere, sed conditionibus iniquissimis, quas iam enumeravi. Non minimam partem eventus infelicis ipsi laeso fundo et posteriori utero fisso tribuendam puto. Quae ne evenirent, evitari poterat, si antroversio uteri plane percognita ac tumor abd., inde effectus, pro foetu velamentis incluso, qui ex utero excesserat, habitus non esset. Laesionem vero fundi uteri multo perniciosiorem esse, quam cervicis aut corporis uteri, hoc demonstrare supervacaneum est argumentis, quae cuique in promptu sunt.

Itaque ut in similibus conditionibus, omnino quando venter iusto magis propendet, maxime vero in autroversione

uteri, si sectione caes. opus est, evitetur, quominus fundus uteri laedatur, iam qualemcunque propositionem facere conabor, quae mihi ad hoc aptissima videtur. Quum enim in libris, quibus de nostra re agitur, iubeatur, ut (in methodo prope ad lineam albam aut in lineam albam ipsam) ab umbilico deorsum incisurae directio et longitudo definiatur, equidem suadeo, ut ex symphysis initium faciatur definiendi incisurae longitudinem, quo facto tum ab hoc ipso lineae fine deorsum culter usque ad symphysim deducatur. Hanc igitur legem si adhibere licet ad nostrum casum, incisuram a loco perforato incipere et inde deorsum duci debuisse puto. Quin ita res institueretur, non obstitit spatii magnitudo, neque unquam impedimento esse poterit, dummodo antroversio aut venter promissus re vera inveniatur. Locus perforatus septem ad octo circa pollices a symphysis distabat. Utilitas autem ac praestantia modi ac rationis illius secandi haec potissimum fuisset, ut recessus, qui intus erat, plane scinderetur, uterusque in parte antica offenderetur, quae pars a reliquo uteri cavo plane seclusa erat.<sup>1)</sup>

Hanc igitur a me propositam caesareae sectionis rationem, quae, quantum scio, novi speciem prae se fert, quaeso, ut similibus in conditionibus sequaris et, qualis eius sit praestantia, ipse spectes. Illud sane mihi persuasum habere videor, nihil damni inde posse evenire, modo ille, qui operationi praeest, sit artis suae peritus, modo ne plenam vesicam urinariam, uterum eam esse putans, incidat aut omnino evitare nequeat.

---

1) Vix admonere opus esse videtur, alienissimum esse a me, hic exprobare aliquid praeceptorum dilectissimo meo. Quis est qui hoc possit? Quod iam supra dixi, repetere libet, non modo cum maxima, qualis ei est propria, dexteritate operationem instituisse, sed secundum diagnosin, qualem sibi persuaserat, et secundum leges suas optime egisse.

## Inquisitiones in cicatricem e priore sectione caesarea in utero relictam, quas microscopio institui.

Quoniam, quantum scio, adhuc nusquam de eiusmodi factis inquisitionibus relatam est, et operae pretium esse putavi, auctore maxime benevolentissimo Prof. Kiliano nostro admotus, quantum potui accurate cicatricem inquirere, et minime inutile, quae invenerim, hic opusculo meo addere.

Primum igitur procul a cicatrice uterum investigavi; neque ulla in parte a iustis legibus recedebat. In superindumento peritoneali enim inveni cellulas epitheliales, telam cellulosa, fibras elasticas; statim sub his praeter telam cellulosa ac fibras elasticas manifesto frequentes et laeves fibrillae musculares cernendae erant. Saepius redintegrata hac investigatione semper eadem illa inveni.

Deinde cicatricem novam perscrutatus aliud quidquam invenire non potui, praeter quod in labris exterioribus exsudata plastica erant, quae passim quoque longius in superindumento peritoneoli cicatricem circumdabant.

Tum denique ipsam veterem cicatricem inquisivi, cuius tamen formam atque habitum ante paucis mihi hic<sup>1)</sup> describere et exponere liceat.

Initium illa quidem habebat a fundo uteri, novem lineas ad dextram inde ab eo loco, quo tuba Fallopie sinistra utero inseritur, ac pertinebat fere linea perpendiculari usque ad locum ab initio ligamenti rotundi quindecim lineas ad dextram positum, finiebatur eadem fere cum hoc linea, quam dicunt, horizontali. In longitudinem habebat duos pollices et sex lineas, in latitudinem non amplius unum pollicem. Inferior angelus est crispatus in modum ani et ad mediam par-

---

1) Consulto feci, ut hanc descriptionem in narranda sectione mihi reservarem.

tem, paulo demissiore, contractus; praeterea magis pallidus et multo durior et crassior, quam reliqua cicatrix. Media tenuissima est cicatrix, ibique est unius liniae. Quae autem partes proxime foramen<sup>1)</sup> circumdant, crassitudine non amplius folii papaveris sunt. Introrsus autem cicatricis partes ad utrumque latus crassiores fiebant, unde apparet, fibrillas musculorum circulares, quo magis remotae ab superficie uteri intro erant, eo magis contractas fuisse. Itaque sulcus effiebat, similis ac si ex utero segmentum prismaticum triquetrum excisum esset, cuius una planities introrsum vergat, unus angelus in summum uteri tabulatum immissus sit. Huic sulco inhaerebat etiam pars placentae, quae tamen inclusa potius, quam increta videbatur.

In longitudinem igitur cicatricem illam persecui atque introrsus compluribus locis iterum atque iterum singulas partes examinabam, investigabam, exquirebam. Sed quotiescunque denuo inquisivi, semper inveniebam telam cellulosa, fibras elasticas atque summis in tabulatis cellulas epiteliales, nunquam autem fibrillas musculares reperire potui.

Ex his igitur, quae exquisivi, effici puto non solum ut in hoc nostro casu vulnere uteri cicatrix inducta sit ex peritonaeo, sed etiam inde probari mihi videtur, id quod multam antea suspicati sunt,<sup>2)</sup> nemo adhuc demonstravit, hanc generalem esse legem cicatricum uteri, ut inducerentur de peritonaeo neve quidquam fibrarum muscularium novarum assumerent, qualis Wolfii est sententia.<sup>3)</sup> Nam si in animam

---

1) Cf. Sectio pag. 22 etc.  
 2) Joh. Müller „Handb. d. Physiologie d. Menschen“ sagt: »Die Wunden des Uterus vernarben sehr leicht, die Wunden werden durch die Zusammenziehung des Uterus schnell überaus klein. Es scheint, dass die äussere seröse Haut vernarbe.« Cf. praecipue Mayer, Graefe u. Walther's Journal. 11, 4.  
 3) Wolf, tract. de formatione fibrarum muscularium in pericardio atque in pleura. Heidelberg 1832.

...auxeris, quasnam causas Guilelmus Lange in disputatione sua<sup>1)</sup> attulerit, si reputaveris, Ioh. Müllerum aliosque gravissimos auctores, ita rem necessario se habere putasse, iam non dubitabis, horum virorum sententiam meis inquisitionibus valde confirmatam et approbatam esse.

Lange si in dissertatione illa scribenda ante oculos habuisset, quae Ioh. Müllerus dicit<sup>2)</sup>: Für die Existenz von Muskelgewebe etc., praestantissimum eius opusculum iam nihil haberet vituperandi, quo, quale nunc est, reliqua omnia, quae sententiam illam confirmare et adiuvare possint, pulchre diserteque exponuntur, hoc autem argumentum, ductum ex inquisitionibus microscopii, multo gravissimum sane, non profertur.

Quodsi Lange, optima illa occasione, quae tam raro data est, melius usus, vulnus uteri accurate microscopio inquisivisset: argumentatio eius plena, ac mea opera non inutilis quidem, sed tamen non tanti ponderis fuisset, quippe quae tum approbare tantum et affirmare potuisset, quae alii iam vidissent.

Monendum mihi est, in ipso inquirendo doctiss. prof. Budge non solum de ratione instituendarum investigationum mihi consuluisse, sed et ipsum me adiuvasse in utendo microscopio, cuius rei gratias ago, quam possum, maximas.

Itaque, quum ad finem perductam esse velim dissertationem meam, iam mihi reliquum esse sentio, ut repetam illud, quod in praefatione ex vobis quaesivi, lectores benevoli, ne asperiore iudicio uti velitis. Valet.

---

1) Vierteljahrschrift für die prakt. Aerzte, herausgegeben für die medizinische Fakultät in Prag. III. Jahrg. 4. Bd. p. 426.

2) Joh. Müller „Physiol. des Menschen“ tom. I, p. 409. „Für die Existenz von Muskelgewebe kann nur die Zusammenziehung und das mikroskopische Verhalten als Beweis gelten. Cf. etiam Wutzer in Müller's Archiv. 1834. p. 409.

## V i t a.

---

Natus sum Laurentius Kauffmann Wendensis die XXIX mensis Augusti anni MDCCCXXIII patre Petro Josepho, matre Maria Elisabetha e gente Weingarten, quos morte mihi iam pridem exreptos lugeo. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus Progymnasium Attendornense, quod adhuc directore clarissimo Wiedmann floret, quatuor annos, et tum, eo relicto, Gymnasium Coloniense, cui clarissimus Pr. Birnbaum praeest, per tres annos frequentavi. Munitus testimonio maturitatis mensi Octobri anni MDCCCXXXVII. inter cives almae Fridericiae Guilelmiae Rhenanae a rectore Magnifico van Calker receptus illustrissimo Pr. Weber t. t. [Decano spectatissimo nomen dedi.

Professores clarissimi, quorum scholis exercitationibusque practicis exinde per quatuor annos deinceps interfui, hi sunt:

Treviranus, G. Bischof, Plücker, van Calker, Noeggerath, Schaafhausen, Budge, Weber, Mayer, Albers, Hoppe, Nasse, Naumann, Kilian, Wutzer, Harless, E. Bischoff.

Quibus viris omnibus, imprimis autem praeceptoribus meis clinicis Wutzer, Kilian, Naumann, qui egregiam semper mihi praestiterunt benevolentiam atque liberalitatem, maximas ago gratias semperque pium gratumque animum servabo.

Nunc, examine quum philosophico, tum rigoroso absoluto, in eo sum, ut ad doctoris medicinae, chirurgiae et artis obstetriciae gradum promovear.

---



# Theses.

---

I.

*Omne animal ex ovo.*

II.

*Strepitus placentaris, quem dicunt, non in placenta oritur.*

III.

*Rei medicae notitia mediocris profanis plus nocet, quam prodest.*

IV.

*Syphilis primaria est tamdiu morbus localis, quamdiu ulcera non adsunt, et remediis localibus sananda.*

V.

*Symphysiotomia plane est reiicienda.*

VI.

*Remedia abortiva interna non dantur.*

VII.

*Chloroformum in reponendis luxationibus et in spuris ankylosibus aptissime adhibetur.*

VIII.

*Pyemia non est neganda.*

IX.

*Morbi valvularum cordis stethoscopio solo sunt dignoscendi.*

X.

*Nullus animi morbus sine morbo corporis.*

---



Genus unum et una  
Species plures sunt, non in genere

III

Res medicae, nonne medicis propriis sunt  
quoniam praesent

IV

Species praesentis est verba propria loci, quoniam  
aliter non adhaerent, et verba haec sunt

Symphoricarum genus est verum

V

Haec verba sunt verba non haec

VI

Chlorophorum in genere haec haec et in spe-  
cie haec haec haec

VII

Pyrenonem est haec

VIII

Haec verba sunt verba haec haec haec  
haec haec haec

IX

Yulium genus est haec haec haec